

**1365-1365- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Ianuam Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Ianuam celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · LXV° ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In ordinario, quod quando agitur feria tertia de beato Dominico, secunda oratio sit de beato Petro martyre vel de sancto Thoma, nisi in tempore paschali et nisi illa die sit festum trium lectionum vel alicuius sancti memoria; et quod a septuagesima usque ad quadragesimam dicatur in missa loco tractus, Pie pater sine alleluia, incipiente cantore et toto conventu prosequente.

Item. Quod festum decollacionis beati Iohannis baptiste sub festo duplici celebretur.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: dictis autem scrutatoribus voluntatum, addatur statim et dicatur sic: et diffinitoribus capitulum generalium et provincialium, [et] statim sequatur: in virtute sancte obediencie precipimus etc.

Item hanc: In capitulo De itinerantibus circa finem, ubi dicitur: si vero conversus fuerit, deleatur totum usque ad finem capituli.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: magister ordinis provideat de lectoribus competentibus, addatur statim et dicatur sic: precipimus autem in virtute sancte obediencie, quod quilibet magister in theologia in aliquo studio noviter magistratus, in quo de iure regere habeat, legat et regat continue in dicto studio, quousque habeat successorem. Et supradicta omnia medio tempore observentur.

**Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

In primis mandamus et omni districtione imponimus prioribus et presidentibus in conventibus universis, quatenus omnem fratrem, qui sine licencia a matutinis de beata virgine vel a divino officio in choro tractim, devote et cum pausa in medio versum cantando [se absentaverit], aut se non prostraverit et inclinaverit, quando debet, vel silentium indebite alicubi fregerit, vel a scolis lectorum principalium defuerit, vel alicuius sublectorum quoad studentes ipsius; vel extra conventum inutiliter vagando discurrerit, vel alicubi notabiliter fuerit ociosus, vel defectum de officio suo sibi commisso fecerit, vel absque licencia a graciis vel collacione remanere ausus fuerit, vel extra commune refectorium comederit, compellatur in una refectione a vino vel pictancia abstinere.

Item. Quicumque ieiunia ecclesie vel ordinis fregerit, carnes aut carneata intus vel extra comederit, vel qui in predictis indebite dispensaverit, vel qui rasuram seu tonsuram contra formam constitutam portaverit, aut circa infirmorum vel debiliu[m] necessariam procuracionem, vel hospitum benignam recepcionem vel parcialitatem aut noviciorum recepcionem, ipsorumque instructionem negligenciam vel notabilem defectum commiserit, aut sine socio ordinis et litteris testimonialibus ad quemcumque conventum accesserit, vel ad monasteria quecumque sine licencia presidentis, aut defectum de predicacione vel sermone commiserit, compellatur infra decem dies, postquam legitime constiterit, penitentiam facere gravis culpe.

Item. Quicumque frater vestes quoad formam indebitam vel materiam preciosam aut lectisternia contra constituciones habuerit et eis usus fuerit, vel pecuniam, libros, aurum vel argentum vel iocalia extra conventum tenuerit, vel pecuniam extra commune depositum habuerit, vel requisitus a suo superiore quocienscumque rationem de receptis et expensis integraliter non reddiderit, compellatur infra decem dies, postquam presidenti [constiterit], penitentiam facere gravis culpe. Et nichilominus omnia supradicta et appropriata illi fratri auferat eidem, eique nullatenus reddat, ipsaque in ipsius conventus utilitatem convertat. Cui conventui ex nunc applicamus penitus et ex toto omnia sic detenta, imponentes presidentibus universis, quod omnes pertinaces et huiusmodi ordinaciones contempnentes per alias graviores penas puniant, prout pensatis condicionibus eis visum fuerit expedire.

Item. Constitutionem de percussoribus et arma portantibus, et ludentibus ad taxillos et impositoribus criminum positam in capitulo de graviori culpa, et constitutionem positam in capitulo De itinerantibus, de procurantibus apud extraneos studia, officia, titulum vel conventum pro se vel pro alio, vel fratrem inde expelli vel amoveri, vel reditum impedire, et cetera contenta ibidem volumus et mandamus, quod tam priores provinciales quam conventuales vel eorum vices gerentes infra mensem, postquam eis legitime constiterit de transgressoribus eorum, faciant a sibi subditis inviolabiliter observari.

Item. Mandamus prioribus provincialibus et conventualibus ac presidentibus universis, quatenus dent operam efficacem ad capiendum omnes apostatas nostri ordinis, ubicumque poterunt inveniri, invocato si oportet, subsidio brachii secularis, precipimusque, quod provinciales et eorum vicarii tam in carceribus quam extra de ipsorum culpis tam in ordine quam extra commissis iuxta constitutionum tenorem et ipsorum consilium eos puniant acriter et emendent.

Item. Linguas multorum fratrum pestiferas cohibere volentes, volumus et mandamus, quod quicumque frater suum ordinem vel superiores sui ordinis vel fratres vel personas alias bone fame convictus fuerit diffamasse, tali diffamacione, que iudicio plurium discretorum fratrum de sic diffamatis possit scandalum generari, voce et omni promocione habita et habenda sit ipso facto privatus. Si vero promocionem non habens convictus fuerit hoc fecisse, per presidentem pena graviori culpe debita puniatur, nec cum predictis [nisi] per magistrum ordinis vel capitulum generale, humiliter prius culpa proposita et venia petita, valeat dispensari. Qui vero talem

diffamacionem audiverint vel probabiliter sciverint et in denunciando presidentibus negligentes extiterint, post octo dies sint omni voce pariter [nisi] in sui accusatione privati; ad quam nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale restitui non valeant ullo modo. Presidentes autem, qui tales diffamatores, postquam eis legitime constiterit, punire neglexerint, absolvantur in penam. Omnes autem, qui ante precedentem ordinacionem tales diffamaciones fecisse fuerint deprehensi, penis submittimus supradictis.

Item. Mandamus fratribus universis, quatenus dioecesanis et parochianis seu curatis et eorum loca tenentibus iuxta condicionem et statum personarum exhibeant reverenciam et honorem, nec cum ipsis sine magna necessitate et causa audeant litigare, sine prioris provincialis vel eius vicarii generalis licencia speciali, si ad ipsos commode possit haberi recursus; et in nostris privilegiis et exemptionibus minime glorientur, sed cum ipsis, ut necesse fuerit, ipsa cum moderamine et humilitate proponant.

Item. Sub absolucionis pena mandamus prioribus et presidentibus universis, quatenus nullos fratres exponant ad predicandum populo verbum dei vel ad confessionum audienciam, nisi per priorem provincialem vel eius vicarium sufficientes et ydonei fuerint inventi ad predicta; nec quoscumque fratres ad professionem recipiant vel ad sacros ordines promoveant, nisi in litteratura sufficientes et ydoneos et in etate et tempore a canonibus constitutos; nec pecuniam conventuum pertractare vel expedire per seipsos audeant quovis modo.

Item. Precepit vicarius de ordine et [de] diffinitorum beneplacito et assensu in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicationis fratribus conversis, quatenus infra tres menses a publicatione presencium in suis provinciis reassumant, qui non habent habitum conversorum, qui in nostris constitutionibus continetur, nisi super hoc indultum apostolicum in contrarium habeant vel nisi per magistrum ordinis vel eius vicarium fuerit dispensatum.

Item. Prohibemus, ne fratres Parisiensi studio deputati per annum ante accessum ad dictum studium in priores confirmantur vel in prioratus officio teneantur; et ne de ipso studio redeuntes priores possint fieri, nisi duobus annis lectores principales fuerint vel dicto tempore legerint in aliquo studio generali; volentes, quod quilibet studens, qui vadit ad aliquod studium generale extra suam provinciam, teneatur ibi morari per unum annum toto tempore lectionum. Si autem contra predicta fecerit, honore talibus studentibus debito sit privatus.

Item. Prohibemus districtius, ne frater quicumque suo priori vel presidenti dicere audeat, quod non sit prior vel presidens suus legitimus, nec ab ipsius obediencia se subtrahere audeat quovis modo, donec per superiorem vel diffinidores capituli generalis vel provincialis, si quod est dubium, declaratum fuerit. Et ut supradicta diligentius observentur, imponimus presidentibus universis, quatenus in communi ea legi faciant quolibet mense scilicet, et tam provinciales quam eorum vicarii et visitatores diligenter inquirant de observancia predictorum, et qualiter tam presidentes quam subditi eorundem sint secuti, eaque referant diffinitoribus generalis vel provincialis capituli, ut per eos transgressores omnes tam per absolucionem a suis officiis, quam penis aliis debitis puniantur. Volentes, quod provinciales seu diffinidores provincialis capituli taxent expensas et provisiones visitorum in conventibus, in quibus taxate non fuerint, ultra quas dicti visitatores conventus gravare non possint nec priores ultra taxationem de bonis conventus valeant ipsis in aliquo providere.

Item. Omnes fratres sequentes exercitus et societates, terras et provincias devastantes et incendentes domos indebite et iniuste, subiicimus sentencie carcerali, denunciantes omnes omnibus graciis ordinis esse privatos.

Item. Fratres omnes, cuiuscumque condicionis existant, ad conventus suos reducimus et per presentes suis conventibus applicamus, pro quibus per professionem recepti fuerint, nisi per reverendum magistrum ordinis vel priores provinciales seu diffinidores generalis vel provincialis capituli ex causa rationabili aliter sit ordinatum, exceptis fratribus translatis de provincia ad provinciam et de contrata ad contratam, simpliciter et ex toto omnem gratiam in supradictis contrariam a quocumque factam totaliter revocantes. Et committimus singulis prioribus provincialibus, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte fratres voluntarios sue provincie assignare valeant simpliciter et ex toto seu ad tempus de provincialium dictarum beneplacito et assensu.

Item. Omnes gracias exemptorias de successione bonorum et de cameris habendis extra commune dormitorium, et de pluribus cameris retinendis nisi pro magistris, inquisitoribus et actu legentibus, quibuscumque concessas totaliter revocamus, rogantes reverendissimum patrem magistrum ordinis, quod tales gracias faciliter non concedat.

Item. Significamus fratribus universis, quod omnes fratres, qui per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam [vel] obedienciam sibi vel alteri commissam seu iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo procuraverit revocari vel in aliqua provincia seu conventu aut eciam officio sive studio generali poni, vel remanere, vel inde amoveri, vel cum personis extraneis commorari, ipso facto ex vi presentis statuti in penam incidit graviori culpe debitam, in qua cum tali dispensari non possit, nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Talis autem, quamdiu erit in hac penitentia, si predicator est, officium predicacionis non exerceat nec ad aliquod officium in ecclesia debet notari, nec illi aliqua obediencia committi, nec vocem habeat nisi in sui accusatione; et si sacerdos fuerit vel diaconus, hiis officiis non fungatur et sic celebrare et confessiones audire et alia sacerdotis officia exercere non poterit, ut in capitulo de graviori culpa cum multis aliis expressius continetur.

Item. Districtissime mandamus fratribus omnibus, [quod] non intrent monasteria sororum nostrarum, nisi in casibus positis in constitutionibus sororum earundem; contrarium facientes et hoc fecisse convictos legitime volumus esse subiectos pene, quam reverendum pater magister ordinis in suis ordinacionibus huiusmodi transgressoribus imposuit, a qua infra mensem per nullum absolvi possint, nisi per reverendum patrem vel

priorem provincialem. Et ut premissa firmiter observentur, revocat dictus pater provincialis (!) [de] diffinitorum consilio et assensu [licencias] quibuscumque fratribus, cuiuscumque condicionis vel status existant, sub quacumque forma verborum vel litterarum datas vel concessas, reservat etiam sibi soli dictus pater generalis absolucionem.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale mori vel amoveri contigerit, intelligatur sic: si infra illud tempus quocumque alio casu provinciam aliquam priore provinciali carere contigerit<sup>1</sup>.

Item. Declaramus, quod feria tertia immediate nativitatem domini precedente et in rogacionibus non debet fieri de beato Dominico, patre nostro, nisi sola memoria.

Item. Declaramus, quod acta capituli generalis non obligant fratres aliarum provinciarum, nisi postquam in capitulo provinciali fuerint publicata. Item. Declaramus, quod domus Pere, Caphe et Trebisundarum sunt conventus, et quod fratres ibi conventuales possunt eligere priorem, et ad solum provincialem Grecie vel eius vicarium et ad nullum alium pertinet confirmacio eorumdem in regimen predictorum conventuum<sup>2</sup>.

Ex actis capituli generalis Avinione  
celebrati anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> ·  
LXVII<sup>o</sup> ·

Serenitati conscienciarum providere volentes, omnes et singulas ordinationes, admoniciones, precepta et sentencias excommunicacionis capitulorum generalium et provincialium, magistrorum ordinis et priorum provincialium quorumcumque et vicariorum ipsorum amotorum seu mortuorum simpliciter revocamus.

In capitulo Avinionensi celebrato anno domini millesimo · ccc<sup>o</sup> · lxvii<sup>o</sup> ·

Declaramus, quod in conventu habente suppriorum, si datus fuerit vicarius per capitulum, amoto priore, talis vicarius habet convocare fratres ad electionem et scrutabitur vota eorum. Avinione · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxvii<sup>o</sup> · Declaramus hanc, quod vicarii prioris, eis mortuis vel amotis, non sunt vicarii. In capitulo Avinionensi anno · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxvii<sup>o</sup> · Declaramus, quod acta capituli generalis non obligant fratres aliarum provinciarum, nisi postquam in suis provinciis in capitulis provincialibus fuerint publicata.

In capitulo Burgensi anno domini millesimo ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Idem fuit declaratum in capitulo Ianuensi anno millesimo ccc<sup>o</sup> · lxv<sup>o</sup> ·

Idem fuit declaratum in capitulo anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxvii<sup>o</sup> ·

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Si in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali quocumque casu aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad provinciale capitulum electio pertinebit; quod sic intelligitur: non solum si ipso tempore carere inceperit, sed etiam si post mortem prioris provincialis vel alio quocumque casu inceperit carere ante capitulum generale, et quia provincia non elegit priorem provincialem ante, vel quia electus ante non fuit confirmatus, vel quocumque alio casu adhuc provincia in dicto tempore non habet priorem provincialem confirmatum vel electum et per consequens eo caret, quod ad provinciale capitulum et non ad electores eius electio pertinebit.

In capitulo Avenione anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxvii<sup>o</sup> · Et hec habet tria capitula.

Ex actis capituli generalis Brugis celebrati  
anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · LXIX<sup>o</sup> ·

Declaramus hanc, quod vicarii prioris, eis mortuis vel amotis, non sunt vicarii. In capitulo Brugensi anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> · Et idem fuit declaratum in capitulo Avenionensi anno · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxvii<sup>o</sup> ·

Declaramus, quod acta capituli generalis non obligant fratres aliarum provinciarum, nisi postquam in suis provinciis in capitulis provincialibus fuerint publicata.

<sup>1</sup> Quae declaratio his verbis legitur in cod. K: Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur. Si in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali quocumque casu aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad provinciale capitulum electio pertinebit; quod sic intelligitur: non solum si ipso tempore carere inceperit, sed etiam si post mortem prioris provincialis vel alio quocumque casu inceperit carere ante capitulum generale, et quia provincia non elegit priorem provincialem ante, vel quia electus ante non fuit confirmatus, vel quocumque alio casu adhuc provincia in dicto tempore non habet priorem provincialem confirmatum vel electum et per consequens eo caret, quod ad provinciale capitulum et non ad electores eius electio pertinebit.

In capitulo Ianue celebrato anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxv<sup>o</sup> ·

Quod intelligatur sic, ut si in dictis temporibus carere inceperit, vel ante dicta tempora per quemcumque casum carere inceperit et ipsis temporibus vel aliquo predictorum quocumque casu carencia ipsa duraverit.

In capitulo generali Ianue celebrato anno · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxv<sup>o</sup> ·

<sup>2</sup> Quae declaratio om. K.

In capitulo Brugensi anno domini millesimo ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Declaramus in fine constitutionum ipsarum de mutacionibus non faciendis ante electiones quascumque, ubi dicitur: nisi in provinciali capitulo et in loco ipsius provincialis capituli, quod intelligitur: infra decem dies, quos constitutio concedit pro celebratione capituli utriusque; unde si provincialis vel eius vicarius generalis infra dictos · x · dies post publicacionem actorum faciat quamcumque mutacionem, non habet vigorem, nisi processerit de consensu fratrum illorum vel maioris partis eorum, qui pro tunc inibi diffinierunt.

In capitulo Burgis celebrato sub magistro H[elia] anno domini millesimo ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Declaramus, quod si in conventu habente suppriorum datus fuerit vicarius per capitulum priore amoto, talis vicarius habet convocare fratres ad electionem, supprior vero scrutabitur ipsos.

In capitulo generali Burgis celebrato sub magistro Helya anno domini millesimo ccc<sup>o</sup> · lx<sup>o</sup> · nono.

Declaramus, quod sicut imminente electione priorum conventualium non debent fieri mutaciones fratrum ante mensem electionem predictam immediate precedentem nisi in casibus in constitutionibus expressis [nec] fratrum privaciones, simili modo declaramus et volumus, quod non fiant mutaciones fratrum, privaciones vocum, absoluciones priorum a tempore noticie carencie provincialis in aliqua provincia usque ad noticiam confirmacionis eiusdem nisi in casibus in constitutionibus declaratis.

Hoc extitit declaratum in capitulo generali apud Venecias celebrato anno domini · m · ccc<sup>o</sup> · lvii<sup>o</sup> ·<sup>3</sup>.

Idem in capitulo Burgensi anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Declaramus hanc, quod solum frater [qui] legitime carceri mancipatur secundo vel primo pro delicto, pro quo in seculo moreretur, perdat bona sua, aliter non, et quod ipsa pertineant ad provisionem provincialis sui vel ad conventum, de quo talis frater extitit natus, secundum quod in ipsa provincia fuit actenus consuetum.

In capitulo Burgensi anno domini · m · ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Declaramus, quod magister ordinis ex sua ordinaria potestate et ex (sua) consuetudine ordinis approbata in toto ordine necnon et eius vicarius generalis in provincia vel conventibus ei commissis possunt confirmare priores, lectores instituere etiam in locis, ubi non viget studium generale, et ne aliqui priores absolvi valeant per aliquem eis inferiorem, ex causa rationabili inhibere (!); et quod prior provincialis non potest contra illa, que sunt ordinata per magistrum ordinis vel eius vicarium iam dictum, maxime si per eos aut eorum aliqua potestas subtracta fuerit in eisdem.

In capitulo Burgensi sub magistro Helia anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Declaramus, quod ordinationes, que dicunt, quod committens incidit in talem penam ipso facto, requirunt primum iudicium, antequam reus dictam penam incurrat.

In capitulo generali Burgis celebrato sub magistro Helia anno domini millesimo · ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

Item hanc, quod layci fratres de statu conversorum ad statum clericorum promoti non habent vocem in aliqua electione ordinis vel tractatu eorum, que ad generale vel provinciale capitulum sunt mittenda, ante quinque annos completos a die receptionis huiusmodi habitus clericorum in antea computandos. Et quod iidem fratres clericati sunt et esse debent post fratres illos clericos quantum ad locum ubique et ad vocem in electionibus et tractatibus, qui eos in statu processerunt clericali.

In capitulo Brugensi anno domini · m · ccc<sup>o</sup> · lxix<sup>o</sup> ·

In<sup>4</sup> isto capitulo (dictus) frater Mathias, provincialis Aragoniae, fuit absolutus ab officio provincialatus ... El per capitulum generale factus fuit vicarius provinciae frater Petrus de Custibus, quousque dictus magister B esset presens in provincia.

Et sub isto magistro [Helia] istud capitulum generale ordinavit, quod capitulum celebraretur de biennio in biennium<sup>5</sup>.

<sup>3</sup> Cf. supra pag. 380 l. 24 sqq.

<sup>4</sup> Quae sequuntur ad “in biennium” ex cronica Petri de Arenys desumuntur. Cf. MOPH. VII pag. 54, et infra pag. 412 l. 17 sqq.

<sup>5</sup> In eodem capitulo fuit absolutus prior provincialis provinciae Tolosanae fr. Sancius de Ficola. “Et occasio fuit, ait auctor libelli priorum provincialium provinciae Tolosanae (apud MARTÈNE et DURAND Amplissima Collectio VI, pag. 443), quod appellaverat cum multis aliis a magistro ordinis et eius vicario. Sed appellationis causa per dominum papam Urbanum V fuit commissa capitulo generali (cf. BO. II, 216 n. VII), et iudicatum iniuste appellasse; et ideo et ipse et alii graviter puniti fuerunt. Sed peperit appellantis ... [supplendum esse arbitror: a pena carceris], quam incurrerant propter ordinationem, quae currebat anno illo”. Qualis fuerit haec ordinatio, nescio.